

#1856

2.

DE ATHEISMO
TOTIS GENTIBVS PERPERAM IMPVTATO
PRAEFATVS,

NATALEM GYMNASII
HALLENSIS
CCII

IN THEATRO EIVS ORATORIO,
DIE XXVIII AVGVSTI, A. O. R. MDCCCLXVII.
HORA SECUNDA POMERIDIE,

NONNVLLIS CIVIVM EIVS DECLAMATIONIBVS
PIE CELEBRANDVM
INDICIT.

AD QVAS BENEVOLE AVDIENDAS
AMPLISSIMORVM PATRONORVM
AC FAVTORVM REI LITERARIAE

SPECTATISSIMORVM
HONORIFICAM PRAESENTIAM
HUMANISSIME EFFLAGITAT

IOH. GOTTOFR. TAVST,
RECTOR.



HALLAE MAGDEBURGICAE,
STANNO TRAMPIANO.

CHIESTA DI
STATO MAGISTRI SANT'ANNA
E DELLA

BARBERIA DELLA CITTÀ

DELLA CITTÀ

109

CHIESTA DI STATO MAGISTRI SANT'ANNA
E DELLA



Humanae naturae post tristissimam a conditore suo
defectionem si genuinum statuere premium veli-
mus, nec plus ei minusue, quam par est, tri-
buere: omnem eius in eo versari praestantiam
intelligemus, quod in tanta depravatione sua, adhuc tamen pas-
siva quadam gaudeat aptitudine restaurandae imaginis diuinae.
Hac enim porta quasi miserrimis panditur mortalibus, per quam
caelesti animati virtute et auxilio, ex suis miseriis possunt elabi,
viaque salutis a deo patefacta ad salutiferam numinis intuitionem
deproperare; dummodo eius monitis morigeras aures accom-
modent. Verae nimirum religionis prima quaedam, et si perob-
scura elementa ex concreata illa imagine diuina in omnium men-
tibus remansere, quae non nisi peruicacissima mentis obstinatione
deleri



deleri penitus possunt atque obliterari; quamuis infinitis fere modis deformari atque obscurari. Etenim totius verae religionis aedificium a sapientissimo eius architecto ita est instructum, ut vniuersalium quorundam principiorum prima quasi stamina rationi humanae ab ipsa natura sint inuoluta et in ea complicata, quibus contemplatione huius vniuersi et crebriori rationis exercitio euolutis, tamquam basi ac fundamento totum reuelatae vnicumque salutaris religionis sistema ab unico eius auctore, deo superstruendo absoluatur in iis omnibus, quotquot hunc salutis suae architectum non obstinata quadam proaeresi ab hoc suo opere perficiendo excludunt. Rudera illa imaginis diuinae, ab Augustino extrema eius vocantur lineamenta, quae constant humani intellectus quadam dispositione, principia haecce theoretica, esse deum, eumque vnum, verum, omnipotentem, iustum, conseruatorem et gubernatorem huius vniuersi, promte perspiciendi; voluntatis propensione ad iis assentiendum; conscientiae denique dictamine, deum iudicem actionum nostrorum agnoscendi. Eae vero naturae ratione praeditae proprietates notitiae deo naturalis insitae et congenitae nomine appellantur, tum vero demum in acquisitam transeunt naturalem numinis notitiam, cum rerum creatarum contemplatione aliorumque testimonio in animo explicantur atque euoluuntur. Latent eae quidem velut semina in agro, ita in ratione humana obiolutae, et obscuris notionibus implicatae: sed tamen praesentiam, vim et efficaciam suam in eo maxime produnt, quod animum ad terminos et enunciationes principiorum naturae protinus distincte perspiciendos firmoque assensu excipiendo reddunt apfissimum. Haec prima religionis elementa toti humano generi tam sunt communia, ut nemo mortalium iure queri possit, se absoluto quodam numinis odio ab aeternae suae felicitatis arce esse exclusum. Per ipsam tamen humanae voluntatis libertatem non potuit deus non humano permittere arbitrio, velutne imaginis diuinae intra se restaurationem, sine qua nullus dei datur intuitus, admittere, nec ne. Haec generalia religionis naturalis elementa

menta et principia totius generis humani iudicio comprobantur atque consensu, adeo, ut Cicero vim legis naturae eis tribuat, qui nulla, inquit, gens tam fera nemo omnium tam immanis est, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi (et quidni ipse Cicero?) de diis prava sentiunt; id enim viioso more effici solet. Omnes tamen esse vim et naturam diuinam arbitrantur. Nec vero illud colloctio aut consensus hominum efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. OMNI AVTEM IN RE CONSENSIO OMNIVM GENTIVM LEX NATVRAE PVTANDA EST. Cui adstipulatur Plutarchus aduersus Colotem Epicureum, dum dicit: *Si terras ob-eas, inuenire possis vrbes muris, literis, legibus, domibus, opibus, numismate carentes, Gymnasiorum et Theatrorum nescias. Vrbem vero templis Diisque carentem, quae precibus, iureiu-rando, oraculo non vtatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris auertere nitatur, nemo vñquam vidit.* Sed facilius vrbem sine solo condi posse puto, quam opinione de diis penitus sublata ciuitatem coire aut constare. Haec generalia religionis naturalis principia Tullius ita describit: *Quae est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum, quam Epicurus περὶ θεῶν appellat.* Idemque Tullius contendit lib. II. de nat. deor. eadem principia naturam cum ipsa statim nativitate alte animo impressisse, dicens: *Omnibus immatum est et in animo quasi insculptum, esse deos. Quales sint, varium est: esse, nemo negat.* Quae religionis naturalis vniuersitas cum ratione duce, et omnium temporum experientia teste tantopere sit confirmata: mirum omnino est, et priscis iam temporibus fuisse homines, qui totas gentes atheismi accusauerint, eandemque tibiam recentioribus temporibus esse inflatam. Sic Cotta apud Ciceronem, lib. I. de nat. deor. c. 23. autumat, multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eos nulla suspicio deorum sit: sed autumat modo, nullis exemplis, nullis fide dignis testimoniiis id comprobat. Negari quidem ne-quit, a priscis scriptoribus varias gentes atheismi nomine fuisse



infamatas; quarum catalogum IOH. ALB. FABRICIVS in Bibliogr.
 antiquar. p. m. 229 texuit, sed et ostendit, eas non professione,
 sed vita moribusque atheismi nomen promeritas. Speciosior longe
 est PETRI BAILII accusatio, qua variis Asiae, Africae insularum-
 que gentibus atheismum imputauit, ad recentiorum scriptorum
 prouocans testimonia. Qua in re socinianos sine dubio habet
 applaudentes, qui omnes homines natura esse atheos, id est,
 omni naturali numinis cognitione destitutos, defendunt; vt
 appareat ex OSTORODI institutione religionis christiana, cuius ca-
 pite i. contendit: Homines dei notitiam non ex natura, nec
 ex creationis habere contemplatione, sed ex mera relatione, cum
 deus ab initio se hominibus manifestauerit. Ad quos vero fama
 eius reuelationis non penetrarit, eos nullam de deo habere
 persuasionem: id quod obseruari possit in gentibus quibusdam
 Indiae nouae et alibi. In reliquis vero Americae gentibus IOH.
 PETRVS MAFFEIVS Lib. II. Hist. Indic. Brasiliensis Atheismi crimen
 impingit. Iacobus vero Thomasius in Praefat. XVI. de Brasili-
 norum lingua, religione &c. ostendit, Masseianam relationem
 sibimet ipsi esse contrariam. Summo vero iure totum genus
 humanum IOH. LUDOVICI FABRICII apologetico contra atheismi
 calumniam fuit defensum: et iure meritoque omnes, qui sanae
 mentis sunt, IOH. ALB. FABRICIO in Bibliographia antiquaria
 p. 231. IV. adstipulantur, quem locum tironum cauſſa exscribemus:
 „Credamus Apostolo testanti τὸ γνῶστιν τὴν Θεὸν sive Dei notitiam Gen-
 tibus etiam manifestam et a Deo ipso per opera sua manifestatam Rom. I.
 19 seqq. a Deo inquam non cessante testatum se facere omnibus bene-
 fica manu sua Actor. XIV. 17. vt ab iis veluti palpando inueniantur.
 XVII. 27. Credamus sensibus ipsis Naturae quae est in omnibus homi-
 nibus usque quaque terrarum viventibus, atque in hoc conspirantibus
 vt ex contemplatione huius vniuersi eius Auctorem, Auctorisque boni-
 tatem, potentiam et sapientiam intelligere possint. Credamus omnibus
 regnorum et rerum publicarum conditoribus, qui sine religione et cura
 Numinis coalescere non posse ciuitates probe perspererunt, neque adeo
 possent metu religioso uti ad Respublicas continendas, nisi sensum eius
 a natura homini iam innatum noſſent. Credamus denique consensu
 tot

tot scriptorum omnis aeu, quarumcunque nationum, qui licet a Iudaorum sacris vel Christi nomine alieni tamen omnes uno ore certum faciunt et indubitatum relinquunt, Theologiae Naturalis vestigia alte impressa fuiss effeque in ipsorum cordibus. Hoc Oriens et Occidens, et alio sole calentes terrae, hoc Americae non minus quam Asiae et Africæ populi si ad eos adeas, vel si dignas fide relationes et itinerum commentarios de illis consulas, demonstrant. Hoc recentia hoc prisca loquuntur monumenta de Graecis et Romanis non modo, sed perinde et de Chaldaeis, Egyptiis, Persis, Thracibus, Indis, Sinensisbus et nationibus quantumvis remotis ac barbaris quibuscunque.,,

Quare qui eo insaniae processerunt, ut aut mentis arrogantia, aut libidinis imperio deum ore negent, impugnant ludibrioque habeant, merito sunt existimandi, semetipos ex societate totius generis humani rationis vnu praediti exclusisse.

Id vero argumentum erit praecipuum, quod in solemnitate crastina, in auditorio maiore, nonnulli tironum nostrorum declamationibus suis illustrabunt. Ordine vero sequente in scenam prodibunt oratorium:

Johann Christoph Wunderlich, Mannsfeldensis, scientiarum præstantiam a sermonis pendere perfectione, sermone edisseret patrio.

Johann Friedrich Christian Linsse, Hallensis, Religionis præstantiam cum Atheismi insaniam contendet eodem stilo.

Georg Christ. Blaufuß, Hallens. Cainum desperandum pinget prosa oratione germanica.

Georg Christ. Dietlein,

Friedrich Wilhelm Frauendorf,

Johann August Brauer,

Fried.



Friedrich August Wegner, Hallenses, et

Heinrich Rud. Jon. Hoff, Schraplauensis, *Systema atheorum
ridiculum familiari colloquio patrio perstringent.*

Johann Christ. Karbaum, Hallens. *summam Atheismi
stultitiam stilo latino denudabit.*

Christian August Oehse,

Johann August Rahn,

Johann Christ. Schmidt,

Johann Georg Leop. Buhle, Hallenses, *discrimen inter ami-
cum perfidum et virtutis amantem fictis personis in lu-
cem protrahent colloquio germanico.*

Johann Heinrich Dedecke, Hallens. *Atheum cum morte lu-
stantem stilo germanico sistet pathetico.*

Johann August Wohlfahrt, Hallensis, *morientem serua-
toris amicum stili elegantis germanici floribus sparget.*

Vesta igitur, patriae PROCERES AMPLISSIMI,
Gymnasiisque EPHORI GRAVISSIMI, frequenti praesentia,
quaes Gymnasio insigni semper ornamento, iuuentuti literatae
acri fuit incitamento, si scholam nostram, alumnam vestram, beare
non dignabim: ad mutua quaeque honoris obseruantiaeque
officia nos habituri estis promtissimos, paratissimos.

P. P. e museo Gymnasi, die xxvi. August.

A. O. R. MDCCLXVII.



VO 18

#1856 2.

DE ATHEISMO
TOTIS GENTIBVS PERPERAM IMPVTATO
PRAEFATVS,

NATALEM GYMNASII
HALLENSIS
CCII

ORATORIO,

. R. MDCCCLXVII.

MERIDIE,

ECLAMATIONIBVS

NDVM

AVDIENDAS

ATRONORVM
LITERARIAE

ORVM

ESSENTIAM

ITAT

TAVST



RGICAE,

PIANO.

